Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



torem. huius operis. unum quemlibet de prophetis arbitrantur. asseren
tes quod nullus tam mistica dei uerba cognoscere potuit. nisi
cuius mentem prophetie spiritus ad superna subleuauit. Si quis hec
scripserit ualde superuacue queritur. cum tamen auctor libri sancti
spiritus fideliter credatur. Ipse igitur hec scripsit qui scribenda dic-
tauit. ipse scripsit. qui et in illius opere inspirator extitit.
et per scribentis uocem imitanda ad nos eius facta transmisit.
Si magni cuiusdam uiri susceptis epistolis legeremus uerba.
si quo calamo fuissent scripta quereremus. ridiculum profec
to esset. si non epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere
studeremus. si quali calamo earum uerba in pressa fuerint
indagare. Cum igitur rem cognoscimus. eiusque auctorem rei
spiritum sanctum tenemus. quia scriptorem querimus. quid aliud agi
mus. nisi legentes litteras de calamo per contamur. Arbi
trari tamen uerius possumus. quod iste beatus iob qui certamina
spiritualis pugne sustinuit. et iam consummate sue uicto
rie gesta narrauit. Nec mouere debet. quod in eodem libro
dicitur. dixit iob. uel hec atque illa pertulit iob. Moris enim
scripture sacre est. ut ipsi qui scribunt. sic de se. in illa
quasi de aliis loquantur. Hinc est enim quod moyses ait.
Erat moyses mitissimus super omnes homines qui mora
bantur in terra. Hinc IOHES dicit. Discipulus ille quem